







9890

No. 1069

13

1785, 1.

DISSERTATIO INAUGURALIS  
 DE  
**INFANTICIDIO A MATRIBVS**  
 IN RECENS NATOS INFANTES  
 COMMISSO ET QVIBVSDAM EIVS  
 IMPEDIENDI REMEDIIS

QVAM  
 RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO  
 SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO  
 DOMINO  
**FRIDERICO II**  
 HASSIAE LANDGRAVIO RELIQA

ILLVSTRIS JCTORVM ORDINIS CONSENSV  
 PRAESIDE  
**D. IOANNE PETRO BVCHER**  
 IVRIVM DOCTORE ET P. P. O. ACADEMIAE SYNDICO  
 PRO CONSEQVENDIS SVMMIS IN VTROQVE  
 IVRE HONORIBVS

D. XXVII. OCTOB. A. C. MDCCCLXXXV.

AD  
DISCEPTANDVM PVBLICE PROPONIT

AVCTOR  
**CAROL. GOTTL. DANIEL CLAVER**  
 ADVOCATVS DRESDENSIS.

RINTELII,  
 TYPIS ANTON. HENR. BOESENDAHL. ACADEM. TYPOGR.

*Carl Gottl. Daniel Claver*





DISSERTATIO INVENIENS  
DE  
INFANTICIDIO A MATRIBUS  
IN REGNIS NATOS INFANTES  
COMMISSO ET QUIBUSDAM EIVS  
IMPEDIBENDI REMEDIIS

REGIORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIPIS AC DOMINI

DOMINO  
FRIDERICO II

ILLUSTRISSIMO IUSTORVM ORDINIS CONSILIARIO  
PRAESIDI

D. JOHANNI PETRO BUCHNER  
IVRINI DOCTORI ET P. A. O. ACADEMIAE SYNDICO  
PRO CONSEQUENDIS SVMMIS IN VTROVQVE  
IVRE HONORIBVS

D. XXIII OCTOB. A. C. MDCCCXXXV

AD  
DISCEPTANDVM PUBLICE PROPOUIT

CAELOS GOTTFRID DANIEL CLAVER  
ADVOCATVS DRESDENSIS

PRINTED AT  
THE OFFICE OF THE UNIVERSITY OF  
DRESDEN





VIRO  
ILLVSTRI EXCELLENTISSIMO  
ATQVE CONSVLTISSIMO  
IOANNI GOTTHELF  
MARTINI

IVRIS VTRIVSQUE DOCTORI,  
CAVSARVM AERARIVM PVBLICVM  
SAXONIAE ELECTORALIS CONCERNENTIVM  
PATRONO SEV EIVS PROCVRATORI  
SVPREMO AEQVE AC SENATORI  
DRESDENSI

FAVTORI OMNI HONORIS CVLTV  
PROSEQVENDO FELICIA QVAEVIS!



VIRO  
ILLVSTRI EXCELLENTISSIMO  
ATAE CONSULTISSIMO  
IOANNI GOTTHELF  
MARTINI

IVRIS VTRIVSQVE DOCTORI  
CAVASARVM AERARIAM PVBLICAM  
SAXONIAE ELECTORALIS CONGRVNTIVM  
PATRONO SEV SVIS PROVOCATORI  
SVPRIMO ABOVE AC SENATORI  
DRESDENSI

HAVTORI OMNI HONORIS CVLTV  
PROSEQVENDO FELICIA QVAEVS!



**Q**ratum momentum! o expectatam mihi occasionem!  
qua non tam eximias virtutes TVAS, quae jam  
late patent, laudibus celebrare dignissimis, quam potius  
beneficiorum a TE, VIR CONSVLTISSIME, in me  
collatorum grata mente memorem me possem exhibere et  
publice, quantum sit, quod TIBI debeo, profiteri, nisi  
et sufficientibus viribus et idoneis verbis paene destitutum  
me sentirem. Per septem fere annos animum erga me  
TVVM perspectum habeo, cognitum, satisque, iudicatum,  
ira ut non solum fructum vel forensem, vel domesticum ex  
eo perciperem; sed mihi etiam omnia, quae iucunda ex hu-  
manitate alterius et moribus homini contingere possunt, ex  
TE acciderent. Quare non dubito, quin TIBI haud mo-  
lestum sit, si meum libellum, quem pro summo juris honore  
adi-





adipiscendo scripsi, nomine TVO celebrem et illum TIBI  
dedicem. Ipsum vero ejus argumentum ex tot juris uni-  
versi capitibus legi ea ex ratione, ut notiones quasdam a  
me ipso cogitatas et dijudicatas proferrem nec vero commen-  
tationem sexcenties decoctam TIBI traderem. Certe  
enim scio, TE duabus tantum lineis ex suo ipsius ingenio  
prolatis magis delectari, quam orationis splendore pennis  
alienis nitente.

Ceterum serves velim mihi Tuum amicum animum,  
TIBIque hoc persuadeas, me talem semper in TE fore,  
qualem in primis esse & TV optas et me decet, qua mente  
perpetuae TVAE amicitiae me meosque valde commendo  
et TE semper saluum incolumemque volo atque precor;  
qui vere sum

**TIBI**

deditissimus Cultor

**CARL GOTTLIEB DANIEL CLAVER.**



## §. I.


Quamvis animantium determinatio ad voluptatem & felicitatem fruendam a priori, ut dicunt, non tam perspicue possit mente capi atque definiri, ut in nullam plane dubitationem incurrat; ex attributis tamen & instinctibus animalium naturae insertis aequè clare colligenda, saltem magis quam opinanda videtur, nisi ad unum eundemque scopum innumeratarum virium facultatumque connisum atque finem cuidam duntaxat casui velis addicere; cum illae ad summam tantum felicitatem & promovendam & stabiliendam eo tendant consilio, ut modo earum oeconomia & administratio, si respicias hominem, arbitrio hujus sit relicta. Cum igitur quaelibet res creatae, quibus voluptas & felicitas adipiscenda curae cordique est, tandem felices praedicari possint; auctor hujus universi amorem sui, tanquam fontem humani appetitus omniumque affectuum, naturae ita inferuit, ut esset, incitamentum omnium longe vehementissimum a). Cum vero individuorum suo

A 3

quo-

a) De hac materia elegantes nobis exhibet meditationes *Johann Christian Claproth von den natürlichen Trieben der Menschen in der Sammlung jurist. philosoph. und kritischen Abhandlungen*, II Stück. S. 439 fgg.





quoque tempore quaedam viam ad felicitatem consequendam neque scire, neque ingredi possint, naturae summus auctore, orum impotentiae succurrendi causa, amorem aliis indidit individuis, quae illo ducta maternae pietatis erga partus recens editos vim sibi insitam eo demonstrant, ut eorum infirmitatem libenter & sponte adiuvent, eamque omni cura studioque tollant. Affectus ille, qui animantium, & praecipue hominum naturae est consentaneus, vix procreato sanguinolentoque infanti, qui non illo solum temporis puncto, quo primam lucem sentit, sed etiam ultra id tanta auxilii inopia laborat, ut ad degendam vitam insigni cura & sollicitudine, innumerabilibus tum levis, tum magni momenti rebus & operis, assidua attentione summoque studio indigeat, in primis est fructuosus, atque in eo mirum in modum se exserit. Cum porro generatio humana tam multis insolitisque molestiis, ac, si praesertim sexum spectes sequiorem, tot tantisque doloribus sit obnoxia; quod tamen in animalibus secus esse videtur: facile etiam perspicitur potest, hanc maternam pietatem erga infantem in hominibus magis, quam in animalibus inclarescere, praestantiamque suam praecipue demonstrare cum in superandis doloribus perferendisque aegritudinis, tum in uxore commovenda, ut mater iteratis vicibus fiat, sui que infantis conservandi curam habeat.



## §. 2.

Quoniam igitur maternae inde pietatis vis tam clare patet, ut primam entium indolem & appetitum, omnis generis miseriam & vitae taedium fugiendi, quasi contra naturam supprimat atque contemnat, quaestio oritur: quis ille sit affectus tam vehemens, qui huic maternae pietati antecellat; seu qui dolor sit naturali illo acerbior, quem mater, isti sponte se subjiciens, perferre nequeat? Viro prudenti acta forensia, quibus disquisitiones ob infanticidii crimen instructae continentur, diligenter perlegenti, non vero sciolis ab actorum lectione plane abhorrentibus, facile persuasum erit, nunquam odium naturae humanae adversans, & pietatis maternae defectum miseris illas matres ad committendum facinus id horrendum impulisse, sed ei potius nimium timorem & ignominiae & poenae inopiaeque ansam dedisse: primo ignominiam, inquam, legibus ipsis ob stuprum perpetratum tam iussam, quam totius gentis opinione introductam, & praesertim illustrioris conditionis hominibus intolerabilem: deinde poenam, quae in plerisque regionibus hucusque secundum jus, quod vulgo canonicum dicunt, molem istam confareinatam atque digestam, insigni Paparum potentium politica inventam, irrogatur, poenitentiam nimirum ecclesiasticam <sup>b)</sup>, gra-


vio-

b) Quid de illa sentiendum docuit acutissimus Ictus *Gottlieb Gerhard Titius* in den *Proben des teutschen geistlichen Rechts*, 3 Buch, 6 Hauptst. §. 35 seqq. Cf. etiam *Pertsch*

B

ii





viorem adhuc illa civili carceris poena, vel multa, qua posteriori praecipue pauperes inferiorisque status feminae premuntur, dum in carcerem conjectae impediuntur, quo minus & sibi & infanti victum atque amictum possint comparare. Licet tribus his infanticidii peragendi causis pro rerum diversitate eadem sit efficacia; tamen ea in ignominia vulgo deprehendetur. Satis enim constat, nullum affectum esse ex offenso honore nato vehementiorem, propterea quod ejus solius vi, nisi mala physica cerebrum jam everterint, homo ad caedem sui contra naturam rapitur. Quum itaque femina praegnans, ratione secum reputata, qua hanc ignominiam evitet, non nisi caedis perpetrandae consilium cepit: nemini facile dubium erit, quin potius infantis, quam sui caedem committendam eligat; quod nimirum sibi persuadet, se & acta poenitentia, & emendato vitae genere, crebrisque tum pietatis exercitiis animum suum, quem autochiria se perdituram crederet, sine dubio saluum reddere posse. Nonnunquam etiam ejusmodi mater, taedio vitae ipsa laborans, caedem infanti recens nato illatam, in beneficiorum ei tributorum numero ponit, simul perpendens, vitam infantis, si se ipsa, quam infantem occidere mallet, nihilominus in magno verfaturam esse discrimine.

§. 3.

in Elem. Jur. Can. L. IV. T. XI. §. 358. item *Quistorpius in dem ausführlichen Entwurf zu einem Gesetzbuch in peinlichen und Strassachen.* p. 76. ubi consilium dedit, ut poenitentia publica ecclesiastica ad infanticidia avertenda in causis supri abrogetur & in certis tantum quibusdam aliis casibus retineatur.





## §. 3.

Quibus igitur consideratis, nostrum esse videtur, rationem & viam demonstrare, qua infanticidium perpetrandi occasio, quantum fieri possit, non tantum impediatur, sed etiam minuatur atque plane removeatur. Ante omnia vero stabilienda est regula, qua legis lator non minus cavet, ne delictorum incremento tantum poenas opponat, quam respicit causas & occasiones, quibus homo ad facinus committendum rapi possit, & quomodo iis sit occurrendum. Quem fugit, infanticidium esse ejusmodi crimen, quod non tantum in se permagnum rei publicae valde damnosum, sed etiam impeditu sit perdifficile? Cum vero matres vetito concubitu praegnantem in metuenda turpitudine & poena hujus criminis peragendi causam vulgo tam quaerant, quam inveniunt; omni modo illa etiam oportet minuatur atque removeatur.


## §. 4.

At vero si inde statuas, ignominiae metum, quem vulgo concubitu vetito usi habent, sine omni restrictione, et praesertim etiam ex feminarum animis esse extirpandum, nec stuprum ulla plane animadversione esse vindicandum; eo tum fenestra ad summam nequitiam patefieret, tum nimia morum perversitas in serperet, tumve conjugiorum legitimorum praesentia, quae legislatoris auctoritate est maxime tuenda, omnino evanesceret.

B 2

Quae





Quae cum ita sint, tamen mater nothi vindicta, lege vulgo praescripta, ideo non coercenda videtur, quod vel naturalis pudor, vel ipsi parturienti dolores, vel cognatorum similitates, vel infantis alendi necessitas ejusque generis incommoda plura, ei jam maximae sunt castigationi; sed, ut eo facilius scortandi proclivitas coerceatur, multo magis mas poena sancita est afficiendus. Priusquam vero de ejusmodi poenae definiendae notione uberius accuratiusque exponimus, quaedam poenae vitandae remedia adhuc praemittamus.

## §. 5.


Dubium non est, quin poena, sine omni limitatione stuprifaciori definita, coitus instinctum, aequae feminis ac maribus natura insertum, partim quodam modo supprimat, partim etiam sordidis insuper libidinibus, ut Onaniae atque Sodomiae, ansam praebet. Appetitus itaque ille vehemens, quem nemo facile extinguat, aquae instar in melius derivandus & ita coercendus est, ut matrimoniis contrahendis simul consulatur.

## §. 6.

Quod vero negotium, apte demonstrandi rationem, qua matrimoniis faveatur, legislatoriae potestati permagnam attulerit difficultatem. Nam censurae caelibibus addictae, & praemia maritatis destinata nunquam effecerunt, ut matrimoniorum numerus augeretur; licet ad huc permulti antiquam hanc opinionem affectentur.

De






Deinde Imperatorum Romanorum legislationem de conubiis scopum minus attigisse, quam fugit? Cui rei exemplum suppeditat lex illa Papia Poppaea, cujus usus quidem sensui communi, neutiquam vero speratae applicationi, respondebat <sup>e)</sup>. Si vero matrimonium ineundi inclinatio legibus incendi debet; ante omnia opus est, ut legislator populi mentem, quam de matrimoniis habet, diligenter cognoscat, atque studiose perpendat, quatenus ad ducendam uxorem sit proclivis, vel non <sup>d)</sup>. Quod normae instar summus ille Moses, artis imperandi peritissimus, ante oculos habuisse videtur, dum gentis suae mores emendandi animus sibi erat; quo vel gravioribus censuris vel praemiis, nuptiarum promovendarum causa constitutis, apud Judaeos, si illas reapse averfati fuissent, fortasse parum aut nihil, credo, profecisset, nisi anti- quam eorum consuetudinem, cui vulgo adhaerebant, & secundum quam quilibet Judaeorum nuptias faciendi, consilium eximiae gloriae insignique laudi sibi ducebat, deprehensam ad optimas leges scribendas, quae connubiorum inservirent amplificationi, adhibuisset, ac fortasse Messiae procreandi spem, qua quisque illorum tenebatur, in rem suam convertisset. Germaniae nostrae incolae una cum naturali instinctu exercendi coitum aequae vehemens desiderium procreandi sobolem, ac sincerum amorem erga illam conjungere, experientia edocti

e) Generos de *Salchow* in antiquit. Jur. Romani. § 426.

d) Cf. *Jo. Heumann*, *Dei* quondam Altortiensis clarissimi, comment. de fontibus & oeconomia legum civilium p. 46.






edocti tum in patribus eorumque amore, quo liberos suos, licet extra matrimonium editos, prosequuntur, tum in conjugibus sterilitate laborantibus prolemque desiderantibus, non raro cernimus. Quoniam autem, luxu magis magisque invalescente, necessitates vitae paulatim multiplicantur, & impensae honoratiorum, praesertim in urbibus celebrioribus, ob muneris dignitatem obtinendam ita crescunt, ut reditus ipsi, qui ad ineundum ordini conveniens conjugium, simulque ad familiam inde oriundam, eamque tum rite educandam non sufficere videntur, nuptiis quidem contrahendis saepe obstant, sed illum concumbendi instinctum penitus suppressere haud valeant; nulla alia ratione iis succurrendum videtur, cum omnino a concubinato abstinendum sit, quam ut matrimonium morganaticum inire liceat. Hoc scilicet modo nimius sumtus, quem alias hodiernus familiarum status requirit, minui, ac immoderato vitae generi provideri posset, simul etiam, instinctu illo naturali ad finem salutarem directo, civium numerus augeretur, atque humano generi consuleretur. Quae autem matrimonium ad legem salicam ineundi venia utique tunc esset ita circumscribenda, ut ad eam impetrandam non omnino omnes, sed tantum quorundam ordinum cives, saltim non omnes absque Principis consensu, ad mitterentur ).

Ex


e) Aprivatis & plebeiae fortis hominibus hujusmodi matrimonium iniri posse, iam olim docuerunt Jctus Tubingensis *Schwecker* in dissert. de matrim. ad morganat. th. 12. *El. Aug. Stryck.* Prof. Kiloniensis de matrim. ex ratione status C. 2. p. 15. n. 50. & *Eduard Francisc. Goclenius* Antecessor quondam Rintelienfis, de pactis coniugum specialibus p. 10.





Ex quo simul sequitur, dictum matrimonium non esse rationem unicam, qua in universum cujusvis conditionis hominum conjugia augeantur. Quinimo ipse concubinatus peractus, quatenus futuro matrimonio causam praebeat, licet ex altera parte omnimodo ei sit resistendum, ex altera tamen parte quibusdam commodis non indignus videtur. Hujusmodi est, ut primum stupratori, si gravidam secum matrimonio jungit, omnis tunc poena remittatur: deinde coitus sub stipulatione celebrandarum nuptiarum initus, nisi sponsalibus publicis sit praefendus, eadem tamen juris obligatione gaudeat, adeo ut, duabus vel pluribus feminis concurrentibus, cum lis de consummando matrimonio movetur, & stuprum alteri illatum publicis sponsalibus cum altera habitis praecedat, illi stupratae prae ceteris omnibus matrimonium ineundi jus utique obtingat. Licet vero sponsalia publica ante coitum cum altera commissum rite facta sint, sponsa tamen, si fidem suam a sponso esse deceptam videat, simulque ambitioni indulgeat, ab ejusmodi matrimonio haud dubie abhorrens omnes cogitationes curaque in violatae fidei satisfactione desiget; ut eo facilius, jure sponsaliorum publicorum per se ceteroquin salvo, stuprata sponsae in matrimoniorum favorem, & vitiatæ sortem sublevandam praeferi possit. Ejusmodi favorem stupri vel juris principiis respondere, vel rei publicae conducere, ex ipsius rei natura patet. Quicumque enim matrimonium in pactorum numero habet, nec illi ex pontificiorum politica





tica depromptae rationi, quasi sit sacramentum, adhaeret, illud etiam, quam primum concubitus stipulationem secutus sit, proprie esse perfectum, facile concedet, licet ritus quidam solennis, ad confirmandum nuptias earumque commoda civilia consequenda, legibus positivis sanciens, requiratur. Nihilo tamen minus inde sequitur, pactum, quod matrimonium, praeeundo quasi praeparet, cujus generis nimirum sponsalia sunt, majorem injungere obligationem, quam illud juri naturae, quod nunquam legibus civilibus plane abolendum est, conveniens & concubitu consummatum. In ferendis porro, quae connubia attinent, legibus diligenter videndum est, ut parentum consensus, qui praeterea in spondendo multum valet, apte coerceatur, eorum denegandi rationes studiose perpendantur, atque inprimis senatus sacer jubeatur, conjugium ituris magis, quam denegantibus parentibus, esse adiumento. Quod si vero stuprator gravidam in matrimonium ducere recuset; suadendum tamen est, ne ad illam omnino ducendam cogatur, cum satis constet, nuptias vi coactas raro prosperum habuisse eventum, propterea quod homo, nullo plane effugio sibi relicto, nil tam aversatur, quam vim suae voluntati illatam: sed tum ille poena stupro definita plectatur necesse est. Quamvis igitur statutis legibus stupratori optio relinquatur, utrum velit stupratam impune ducere in matrimonium, an extinctae libidinis poenam solvere: tamen in ea quaedam connubiorum augendorum copia  
semper



semper latebit. Nam cum humanae indolis sit, salvo suo arbitrio summos dolores multo facilius perpeti, quam libertate voluntatis vi privari; ideo etiam ejusmodi stuprator, iis, quae in rem suam sint, diligenter consideratis, vel stupri poenam solvendam, vel conjugium sine poena incundem sua sponte eliget.


§. 7.

Leges civiles, quo magis naturae respondent, eo severius in violatoribus suis ad deterrendum alios ulciscendae sunt; cum ejusmodi violatio e monstrosa quadam morum perversitate originem ducat. Quae norma concubinatui satis conveniet, si praesertim supra laudatae rationes augendi matrimonia legibus ipsis sint munitae. At vero in constituenda poena, qua stuprator afficiatur, feminae vitatae ratio oportet etiam habeatur. Saepius enim accidit, quod experientia in regulae naturam quasi abire jussit, ut prima stupri perpetrati causa mari omnino sit imputanda. Quod si vitiatam animo contemplaris, quae variis technis allicientissimisque blanditiis, quibus vel vanitatis studii causa, vel propter organa nervorum maxime sensibilia resistere non valeret, ad extinguendam libidinem persuasa atque capta, tum tantis graviditatis doloribus, morbis, ignominiae & futuris miseriis est obnoxia, atque praeterea, quod sit decepta, gravissimis adhuc poenis afficitur, suamque sortem acerbissimam deplorat, non injustum

C


esse





esse statues, ejusmodi stupratorem, qui feminam de-  
 perit, eoque leges proprie ipse violaverit, gravem pec-  
 cati poenam, huic miserandae feminae forti asperae si-  
 milem, luere debere, nisi eam in matrimonium ducat,  
 atque illius incommodis curando, sustentando nec non  
 tollendo adfit, eoque simul violatis legibus satisfaciat.  
 Qua in re maxime oportet pro ordinum diversitate,  
 utrum sons sit loco illustri, an humili, vel dives. vel  
 pauper, poenam constitui. Stupratores igitur confessi  
 & convicti, itaque probatione plena stupri rei, quibus  
 matrimonium morganaticum permissum est, quique  
 publico munere funguntur, ita puniantur, ut a munere  
 amoti honoribusque privati vitiata secundum ratio-  
 nem infra uberius demonstrandam dotent: illi vero,  
 quibus quidem matrimonium morganaticum concessum  
 est, sed publico munere non perfunguntur, praeter  
 duplicatam dotationem ordini eorum accommodatam  
 ergastulo trimestri plectantur: tum divites inferioris  
 conditionis quatuor menses carceri inclusi centesima  
 bonorum parte, inter principem & vitiata dividenda,  
 mulctentur: denique pauperes humillimi status ad erga-  
 stula publica in annum damnentur. Cum vero, con-  
 cubinatu semiplene probato, vitiata in supplementum  
 juravit: illustrioris ordinis ad dotationem duplicem,  
 divites ad triplicem praestandam cogantur; pauperes  
 vero atque inferioris conditionis, ut reipublicae, cui  
 plerumque vitiatae cura relinquatur, satisfiat ad opus  
 publi-





publicum trimestre damnentur : probatione autem minus semiplena existente purgatorium litis finem faciat.

## §. 8.


Ipsius autem dotationis proportio semper ad stupratoris, non vero ad stupratae conditionem definienda esset. Cum enim marem non puderet feminae eo tempore, quo cum illa rem habuit; nec postea dotationem, ab illo praestandam, constituat feminae conditio, quod haec ipso naturalium nuptiarum perfectarum momento illius conditionis particeps facta. Deinde etiam dotationis summa, huc usque consueta, amplificanda & sic stabilienda videtur, ut ejus maxima thalorum imperialium bis mille, & minima ducentorum numerum expleat; quo pro cujusque rerum conditione in posterum decernatur.

## §. 9.

Quoniam vero de poenis definiendis diximus, quae ad suppressendum concubinatum spectant: operae pretium erit, etiam demonstrare, quae varia inde nascantur commoda. Ac primum quidem quisque stupri reus, ut gravem effugiat poenam, vel matrimonium civile, vel morganaticum incundum sibi eliget. Deinde frequentes collusiones atque concussiones, quae vulgo procerum & divitum strophae sunt, eo facilius impe-







dientur. Vix enim opinandum est, pauperem pecuniae causa ergastuli poenam esse subiturum; vel, etiam si graviditatis auctorem se profiteatur, nec ad evitandam poenam ab uxore ducenda abhorreat, ad nuptias, nisi antea ad illas apparandas sufficiente pecuniae summa accepta, adductum iri. Cui quidem objici possit, hac ratione vel probationem, qui sit criminis auctor, eo difficiliorem reddi; vel etiam vitiatas corruptione commotas ad indicandum peregrinos & ignotos auctores perducere. Verum ad haec respondendum est, feminas primum in evitanda concumbendi occasione multo cautiores fore, cum indicandi auctoris probationem & naturam suam, & legibus ipsius difficiliorem reddi sciant: deinde paucas earum exigua pecuniae summa, absolvendi causa sibi oblata, se corrumpi tantisque miseriis relinqui passuras esse, cum, cuilibet graviditatis auctori vel gravem poenam esse luendam, vel conjugium cum vitiata in eundem, non ignorent: denique mares ipsos ejusmodi criminis reos propter legum sancitarum lenitatem ad ducendam uxorem fore eo propensiores, quo certius hanc legum lenitatem, qua sine magnis incommodis patres fieri queant, sibi hac in parte admodum favere, reminiscantur. Tanta enim indolis humanae depravatio morumque perversitas nationis mentibus nondum ita invasit, quin in plurimis rationis usus atque humanitatis studium impotenti proclivitati, naturae tantum impetus



petus sequendi improbitaque atrocissimae indulgendi, longe antecelleret.

§. IO.

Naturam itaque tam molliter dirigendo, paternum amorem in liberos, quem non omnes jam exuerunt, tam apte sublevando, & matrimonia, sublatis pluribus eorum incommodis, promovendo, occasiones, quibus stupratae vel turpitudini, vel egestati ceterisque insequentibus miseris vulgo relinquuntur, maximam partem tolluntur. Attamen vix sperandum est, infanticidium, etiamsi matrimonia promoveantur, stupratoresque puniantur, plane impeditum iri, cum multae in nuptae vel a peregrinis proficiscentibus ac plane ignotis, qui vulgo legum rigori se abeundo subducunt; vel a maribus, quibus conditio rerum obstat, quo minus ducant uxorem, tum continuis persuasionibus commotae, tum suo ipsius instinctu tandem abreptae vitentur, atque tunc etiam, si praesertim stuprator poenas luere, quam vitiatam ducere malit, in eodem & suarum & liberorum miseriarum metu versentur.


§. II.

Quarum miserandarum matrum tristi conditioni tunc ipsa respublica eo succurrat necesse est, ut aptum demonstrat locum, in quo ejusmodi matres ab infanticidio patrandi eo facilius retentae suos infantes possint reponere, simulque de eorum victu & sustentatione sibi

C 3

certo





certo persuadere. Hujusmodi infantum expositorum hospitium in universum dicitur Brephotrophium (*Findelhaus*); cujus notio atque efficiendi modus recentiorum philosophorum placitis prorsus debetur; saltem de veterum monumentis, quod habemus compertum, non extat ejusmodi apparatus publici vestigium, quo nothorum saluti fuerit plane consultum <sup>f</sup>). Brephotrophiorum, quod novimus, omnium primum anno millesimo sexcentesimo septuagesimo Parisiis <sup>g</sup>) exstructum in rem expositorum infantum auspicabatur. Atque ejusdem generis brephotrophiorum constituendorum ratio hac nostra aetate permultos ita occupavit, ut non commoda tantum, sed etiam incommoda eorum diu multumque recensita impressis mandarent literis. Commoda vero, quae hujusmodi brephotrophiorum constitutionem sequuntur, si <sup>ad</sup> rationes politicas perpenderit, longe praestare incommodis, quae non tam horum constitutioni, quam potius quibusdam causis remotioribus originem debent, multis demonstrare vix opus esse videtur. Licet brephotrophiorum adversarii opponant, tali

apto

f) Ut litatem hujus instituti, a nonnullis in dubium vocatam, solidissimis defendunt argumentis Viri experientissimi *J. P. Frank* in *dem System der medicinischen Policey* 2 B. p. 443. seqq. & *P. Camper* tr. citando p. 10. seqq. & 121.


g) Ex quo tempore hujusmodi institutum hoc loco viguit, nihil fere ibi de commisso infanticidio audiri, testatur *Dictionnaire encyclop.* verb. exposition d'enfant, idemque de Metropoli regni Suecici asserit *von Hefs* in *den freundschaftlichen Gedanken über Staatsfachen*, Frank. l. c. p. 446.



apto reponendi infantes modo tum ad coelibum nequitiam consulto patefieri fenestram; tum etiam parentes & egestate pressos, & amoris erga liberos innati expertes, eo induci, ut se clam liberis suis subducentes eorum alendorum atque educandorum curam reipublicae relinquunt, simulque sumtus reipublicae plus aequo augeant; impedimenta tamen haec non ex ipsa brephotrophiorum constitutione emanant; sed proprie in diligentiori morum expoliendorum affectatione accrescentisque luxus intemperantia latent, adeoque vitari possunt. Quamvis vero in quibusdam illorum libellorum multa, quae sint e re hospitiorum, in univrsum sunt prolata, tamen eorum applicatio ad singulas brephotrophiorum partes non parum difficultatis habet. Quaelibet natio de lubricine & ignominia, qua ad conferendum aliquid ad publicos apparatus adducitur, proprias sibi plerumque fingit rationes, ad quas in constituendis ejusmodi rebus, quibus illae sint utilitati, omnino est respiciendum. Rationes praeterea politicae obstant, quo minus vel unius, vel plurium ejusmodi brephotrophiorum communium apparatus in mediocri tantum republica exoptatus respondeat effectus: tum etiam, ut pecuniae fons ad constituendum brephotrophium & apte aperiendus, & rite deducendus scopoque convenienter adhibendus permagnam curam atque attentionem requirat. Infantum expositorum hospitia communia in univrsum neque cunctis sufficere, neque scopum attingere posse,

fatis





fatis demonstrat illud Colberti brephotrophium Parisiis exstructum, quod anno millesimo sexcentesimo septuagesimo primum expositos infantes recipiebat trecentos duodecim; qui deinde decem annis post jam octingenti nonaginta erant; atque tum anno millesimo septingentesimo ad mille septingentos triginta octo aucti; tandem anno millesimo septingentesimo quadragésimo ad tria millia centum triginta cumlati, denique anno millesimo septingésimo septuagesimo sexto numerum sex millium quadringentorum undeviginti explebat; cujus, inquam, numeri incrementum successu temporis opinandum, nescio, quis facile definiat<sup>h)</sup>. Vnde colligi potest, reipublicae melius consultum iri, si cuique civitati & in sui ipsius, & dioeceseos, quae non nimis ampla sit, usum ejusmodi brephotrophium constitutatur.

§. 12.

Si quando patriae meae contigerit, ut de ejusmodi brephotrophio rite instituendo cogitaretur, quodque praesertim ad usum D. ejusque circumjacentis dioeceseos accommodatum condi deberet; non dubito, quin illi valde conducatur, si primum caveatur, ne omnibus omnino infantibus, sed iis tantum quorum matres ignorantur, aditus ad illud pateat. Qua ratione etiam parentes conjugio vincti simul impedientur, quo minus suos

h) Cf. Cl. Frank l. cit. P. 447.




suos adportent infantes; cum nimirum vulgo sint noti, ideoque in eos de infantibus suis, si eo infaniae progressi, ut illos exposuerint, facile possit inquiri. Deinde & parentibus, heris, dominabus iisque inprimis, quorum curae atque moderationi publica disciplina in universum est commissa, inculcandum esset, ut ad feminas, quarum graviditatem nemo non opinatur, diligenter attendant, cumque de earum partu cognoverint, infantis expositionem sollicitè caveant <sup>i</sup>). Quod autem consilium nequaquam scopo impediendi infanticidium repugnat; quandoquidem plurimae infantum caedes tristi illo parturienti temporis momento perpetrantur. Quod si igitur illud tempus satis innotuit; nec rationes deerunt, quibus infanticidium possit impediri. Quibus itaque non neglectis simul fuerit provisum atque praecautum, ne infantum expositorum numerus plus iusto augeatur. Porro etiam, matrum ignotarum infantes brephotrophio tradendi modus omnino levetur, necesse erit. Brephotrophio in urbe extructo machina versatilis vulgo usitata cum tintinnabulo, quo infantis praesentia indicari possit, adhibenda est. Verum rure habitan-

<sup>i</sup>) In Edicto Regis Borussiae contra infanticidia de 8 Febr. 1765 dictis personis haec cura sub gravis poenae comminatione in transgressores legis injuncta, eademque poena in impraegnatores, qui graviditate ipsi ab impraegnata detecta, partum clandestinum non impedivit, sapienter statuta est.

D





bitantibus licitum sit, ejusmodi infantem ante sacerdotis vel ludimagistri habitationem provide deponere; qui deinde, testimonio sacerdotali adposito, cura praetoris pagi, si quidem ad dioecesim definitam pertineat, brephotrophio tradatur. In universum autem ipsis brephotrophii inspectoribus pariter, atque iis, qui eorum auctoritati parent, hospitioque infantum expositorum operas praestant, altum silentium ita est commendandum, ut ne ab illis, nec ab his ulla percontatio de infantibus ibi depositis instituatur. Quod silentium tunc matri & jus & fiduciam dabit, ut infantem sine timore vel ignominiae vel censurae a brephotrophio possit suo tempore repetere. Quinimo idem silentium efficiet, ut nobiliores ditioresque matres, quarum multum interest, partum ipsarum latere, partim summa pecuniae non contemnenda, partim aliis rebus utensilibus ad sustentandum brephotrophium haud parum conferant. Quod vero ad fontem ipsum attinet, qui ad brephotrophium in usum D. constituendum aperiatur, sententiam meam de illo libere proferre, mihi liceat. Princeps noster liberalissimus, evidentissimam gratiam civibus sedis suae testificandi causa, hujus civitatis magistratui ad aedificandum templum, quamvis huic urbi non admodum necessarium, summo tamen splendore, qui ne scopo quidem secundario, nimirum ornamento urbis sperando omni ex parte inservit, nimia fere sumtuum profusione exornatum,

im-



immensa lapidum mole adauctum, atque apud posteritatem tantum ut pote monumentum religiosi luxus permanfurum, varios munificentissima manu aperuit fontes e quibus summa pecuniae in exstruendo hoc templo collocatae refarciatur sine contributione sacrorum aerariorum, licet ex abundantia sua facilius & minori negotio, quam cives ex sua paupertate, tantos sumtus conferre potuissent. Qui vero fontes illos aperiendi modus ita est definitus, ut non solum ante templorum fores per spatiosum temporis intervallum eranos colligendi, sed seorsum etiam de singulis frumenti, farinae, leguminumque medimnis in urbem invecis unum grossum, ac de quolibet dolio cerevisiae octo grossos poscendi potestas daretur. Atque hoc modo in usum hujus exstruendi templi, quod fortasse illi summo numini vix magis probetur, rei publicae vix plus utilitatis afferat, quam ejusmodi brephotrophii institutio, jam quater centena millia imperialium redierunt. Eodem animo lubenti serenissimus noster princeps, isque munificentissimus pater patriae, eiusdem generis imponendum vestigal exstruendo aedificio alendis inopibus destinato, utpote monumento, inquam, quod omnis posteritas, hujus beneficii memor, semper gratissima agnoscat, illumque venerabitur aeternum, cujus auctoritate tam beneficum opus sit perfectum, non tantum decreturus, sed fortasse etiam necessariam pecuniae

D 2 sum-





summam gratis mutuo daturus esset, dummodo ei fa-  
 lularis haec res, quae se ipsa commendat, rite pro-  
 poneretur, simulque demonstraretur, quatenus in-  
 opum commodis utilitatique serviret. Quod vestigal  
 tam almo scopo sacratum nemini facile, cui humani-  
 tatis sensus inest, molestum videbitur, cum praeterea,  
 quod est certo sperandum, fore, ut viginti annis ex-  
 actis summa quater centena millium imperialium inde  
 proveniat, etiam ad ipsam sortem stabiliendam, quo  
 brephotrophium sustentetur, haud dubie sufficere.  
 Nam annum tercentenorum millium thalerorum fenus,  
 cum tantum quatuor pro centenis usurae nomine nu-  
 merantur, jam duodecim millium imperialium sum-  
 mam explet; cui fortasse etiam incrementum vel inde  
 comparari poterit, si & concionatores, & iudices,  
 aliique opportuna occasione homines & humanitate,  
 & opibus conspicuos ad certam pecuniae summam bre-  
 photrophii institutioni legendam diligenter adhortentur.  
 Qua ratione igitur summa difficultas pecuniae fontis in  
 brephotrophii usum aperiendi remota esse videtur; nam  
 pro ea copia hominum, qui hanc urbem incolunt, ex-  
 positi infantes vix cum ducentorum numero quotannis  
 aequari poterunt; & fac, horum numerum esse majorem  
 attamen ipsi reditus annui hujus sortis, collatione priva-  
 torum non considerata, sumtibus faciendis utique suffi-  
 cient. Fingamus, cujuslibet infantis sustentationem  
 quotannis triginta thaleros requirere, quantum tamen

oeco-






oeconomia rite ordinata vix requiret; atque ducentos quinquaginta infantes ipsos nutriri: tamen omnes omnino sumtus septem millium quingentorum imperialium summam tantum efficient. Itaque de omni fenore fortis ter centenorum millium thalerorum positae quotannis quatuor millia & quingenti imperiales super- sunt, qui & ad brephotrophii aedificium conservan- dum, & ad mercedem curatricibus praebendam, & ad alia necessaria sufficient.

§. 13.

Rationibus constituendi brephotrophii in usum D. itaque demonstratis non alienum erit ab hoc argumen- to, si de interiori ejus institutione adhuc quaedam exponam. Ante omnia opus erit, ut necessarias sani- tatis regulas praescribendi facultas, qua & brephoto- phio aptus locus ipsisque infantibus expositis idoneus victus definiatur, peritissimis prudentissimisque medi- cis detur. Hic liceat mihi paululum evagari palam- que profiteri, me praestantissimorum nostrorum medi- corum quendam nosse, cui ejusmodi instituto rationi- bus medicis praesse in primis curae cordique foret, virum, inquam, sub Pezoldi medicinae doctoris cla- rissimo nomine mihi omnino venerabilem, qui nuper per Italiam iter faciens accurata cognitione ibi exstru- ctorum nosocomiorum, cum praesertim illius magni,








Santo spirito in Saffia, Romae constituti, quod anno millesimo septingentesimo octogesimo tertio infantes expositos bis mille quadringentos octoginta unum susceperat, quorum quadringenti sexaginta sex mortui, unus & nonaginta suos parentibus redditi, & centum octoginta quatuor aliis hominibus traditi, trecenti & sedecim Romae, atque mille quingenti viginti quatuor rure educati sunt: tum etiam illius, quod sub nomine Santa Maria Nuova Neapoli extat, medicas, suas virtutes ita amplificare annisus est, ut ejusmodi negotio eo magis satisfacere posse videatur. Selecto itaque salubri loco, in quo brephotrophium aedificari possit, quorundam etiam oecorum, quibus illud in condendo instruat, ratio maxime erit habenda, ut iis non iusta tantum sit altitudo, sed assidua etiam munditiei cura impendatur<sup>k</sup>). Alter oecorum communis, purosque lectos vel stragula continens, omnibus & singulis infantibus recipiendis pateat: tum alter ejusdem generis iis, qui hic permanere debent, qui vero tricesimum numerum nunquam transgrediantur, eorumque curatricibus destinatur. Deinde etiam cubiculum separatim infantibus morbo contagioso laborantibus pariter, atque aliis aegrotantibus est definiendum. Quid? si plura hujus generis cubicula in usum puerperarum illustrium condi possent, quarum saepe plurimum inter

k) Consilia hac de re salutaria dedit supra laudatus Franck l. c. P. 470.



interest, res suas occultari, non minus utile foret,  
 quae tamen suis ipsarum sumptibus reciperentur, ac  
 sustentarentur, summo vero silentio & nomini &  
 conditioni earum praestato, ut, si forte cujusdam  
 ibi famulantis garrulitas quid prodidisset, summa seve-  
 ritate puniretur. Ad alendos autem & curandos infan-  
 tes in dubio non tam nutrices (nisi uxores, quarum  
 infantes lactentes nuper mortui, haberi possint,) quam  
 potius curatrices his de causis adhibendae videntur, cum  
 primum infantes non lacte tantum materno sed et alius  
 generis nutrimentis bene ali posse, experientia satis  
 jam docuerit: deinde etiam nutrices quoad corporis  
 sanitatem non semper possint ita explorari, ut sine  
 omni corporis morbis venereis corrupti timore in-  
 fantes nutriendi illis tradi queant, quarum tantum  
 una ejusmodi lue infecta maximam sane cala-  
 mitatem posset efficere. Prius autem, quam hae  
 uratrices ministerio brephotrophii admittantur,  
 earum probitatem & dexteritatem medicus, summo  
 inspectore praesente & moderante, examinet necesse  
 est; a quo etiam in dies singulos cuique infantum  
 porrigendi victus ratio in quadam tabula consigne-  
 tur, cui oeconomus apparando diligenter satisfaciat:  
 inferiorque inspector, qui superiori illo fit subjectus,  
 curam habeat, ut curatrices, (quibus, si certum nume-  
 rum infantum expositorum bene educaverint, prae-  
 mium praeter mercedem esset assignandum,) omni ex  
 parte






parte officiis suis exacte fungantur, Summo autem inspectori totius brephotrophii, omniumque rerum ad id pertinentium procuratio atque administratio sine ulla circumscriptione ita relinquatur, ut tantum de gravissimis insolitisque rebus occurrentibus ad collegium, cujus regimini brephotrophium est subiectum, referat, illique singulis tantum annis de administratione sua rationem reddat. At vero, cujus jam supra mentio facta est, omnino cavendum erit, ne plus triginta infantes uno eodemque tempore simul in hoc brephotrophio educantur; quod hac ratione fieri poterit, si secundum summi inspectoris dispositionem infantes natu maximi, salva eorum valetudine, pauperibus rusticis a concionatore vel iudice pagi eligendis saltem usque ad sextum aetatis annum nutriendi atque educandi tradantur. Sumtuum, qui singulis infantibus quotannis impendantur, etiam habenda est ratio, ita ut non amplius, quam ad summum viginti quinque thaleros efficiant: qua pecuniae summa allesti rusticorum plurimi suscipiendis atque educandis his infantibus non solum se obrudent, sed etiam quilibet educator

---

1) Quod munus tantum viris egregiis probitate conspicuis tantquam publicum esset demandandum.





cator maxime impelletur, ut diligentissimam infantum habeat curam. Atque hic modus infantes expositivos educandi hucusque optimus atque utilissimus est habitus, & ob praeponderantia commoda saltem educationi in brephotrophio usitatae longe praefereendus videtur <sup>m)</sup>.

§. 14.


Venio nunc ad ultimum infanticidii impediendi remedium, quod a poena huic crimini convenienter definienda proficiscitur. Cum infanticidii crimen hucusque secundum fori usum aequae, ac aliud homicidium, morte punitum esse, satis constet: non super vacaneum erit, ea paucis proferre, quae de poenis capitalibus mihi notanda videantur. Poenas capitales <sup>n)</sup> finem illum speratum, ut alii nimirum iis commoti  
pravis

<sup>m)</sup> cf. Ordinatio Serenissimi Marchionis Badensis de 22. Jan. 1780. Cf. *Frank* l. c. p. 510 seqq.

<sup>n)</sup> Jus quidem poenas hasce irrogandi summo Imperanti denegare nolo, ita ut ad necem usque procedere queat, si aliter securitatem vel universitatis vel singulorum obtineri non posse censeat. Probe tamen hic ponderanda sunt, quae in *P. Raurici* elegantibus ad rem criminalem positionibus §. 43 seqq. scripta leguntur.

E






pravis cupiditatibus suis resistent, ac vitae integritati eo magis studeant, omnino nondum assecutas esse, licet semper fuerint, qui earum illo respectu necessitatem sibi strenue defendendam sumerent, longinqua experientia multis sane evidentissimisque exemplis jam demonstravit °). Variis ipse sententiis capitalibus, quarum praesertim una quendam hominem sane omnium nequissimum dabat ad supplicium, exsequendo satisfieri vidi, meque hoc consilio adspectatoribus immiscui, ut eos observando animadverterem, quomodo hoc supplicio commoverentur. Magna profecto cautione ab hominibus, praesertim inferioris sortis, expiscari studui; utrum eorum mentes supplicii istis commoverentur; & semper mirabundus intellexi, illos vel misertos esse malefici,

°) Testatur hoc testis omni exceptione major, magna Russorum Imperatrix CATHARINA II. in der Instruktion für die zu Verfertigung des Entwurfs zu einem neuen Gesetzbuche verordnete Commission §. 210. testimonio hocce publico. Die Erfahrung bezeuget, daß durch den Gebrauch der Lebensstrafen ein Volk niemals gebessert worden. Wenn ich also beweise, daß in dem gewöhnlichen Zustande eines gemeinen Wesens der Tod eines Bürgers weder nützlich noch nöthig ist: so werden alle die sich gegen die Menschheit auflehnen, widerlegt werden. & §. 211. Es ist nicht die außerordentliche Schärfe noch die Zerstörung des menschlichen Lebens, welche auf die Herzen der Bürger einen sonderlichen Eindruck macht. Man hat mehr von einer lange anhaltenden Strafe sich zu versprechen.





malefici, vel horruisse nudationem gladii; nunquam vero causam, ob quam delinquens hac poena sit affectus, perpendisse, vel de emendandae vitae ratione tantillum quid prodidisse; imo vero quosdam hac occasione, utpote sibi perapta, varia tum facinora clam atque impune patranda abusos esse. Deinde etiam hucusque solitus suppliciorum apparatus, nec non passim usitata conversionis ratio, quam si accuratius consideres, eam vim in hominum animis plerumque exserit, qua & summa viri gravitas ad ipsam suppliciorum rationem horrescendam adducatur. Cujus rei evidens exemplum mihi nuper religiosus quidem, sed non superstitiosus Pontificius quidem praebuit, qui conversione cujusdam feminae, quam ante aliquot menses supplicio affici viderat, ita correptus tenebatur, ut flagranti pietate impulsus inter eundem ad me exclamans accurreret: quod conversionis specimen ille sacerdos in ista femina edidit! o, si mihi, tanquam tali Christiano moriendum esset! Ecce decantatum exemplum, & alios a delictis deterrendi modum! quis est, qui in suppliciis sumendis idem sentiat? Jam vero neque de admittendis, neque de omittendis suppliciis, cum in multis regionibus nulla rei convenientior poena

E 2

sit





sit praescripta, contendam: hoc tamen experientia  
 duce obtinendum duco, supplicia alios a delictis de-  
 terrendi propositum hucusque nec affecuta, nec un-  
 quam affecutura esse, saltim, e suppliciorum natura  
 efficax infanticidii avertendi remedium repeti non poterit.  
 Crimen enim vel ignominiae timore, vel quadam  
 desperatione (quae in stupratis teste experientissimo  
*P. Campero* <sup>1)</sup> eo jam tempore incipit, quo se gravidas  
 esse sentiunt), commissum, supplicii impedi non posse  
 arbitror, quia tum omnes fere caedes sui ex his animi  
 motibus oriuntur, in quibus vero supplicii timor lo-  
 cum non habet, nec habere potest; tum etiam id  
 ipsum, quod vim poenae habeat, illuc abit, ut male-  
 fici infortunium prorsus removeat.

§. 15.

Quum igitur supplicia infanticidium impedire  
 non valeant; omnino erit opus aliam praescribere poe-  
 nam, quae matres ab infanticidio in recens natos com-  
 mittendo absterreat. Hujusmodi poena fortasse foret  
 ign-

1) *Abhandlung von den Kennzeichen des Lebens und des Todes  
 bey neugebohrnen Kindern p. 127.*




ignominiae per omnem vitam durantis comminatio, quae vero illam e graviditatis non legitimae sensu oriundam turpitudinem longe superaret. Licet in legibus sancendis, pro communi philosophorum consensu<sup>1)</sup>, poenarum proponendarum, cum infamia conjunctarum, numerus, quoad ejus fieri possit, diminuendus sit: magis tamen idoneum videtur, si infanticidium a matre in recens natum infantem commissum praeter perpetuam in ergastulo inclusionem infamiae quadam puniatur. Haec autem non patibulum & rotam, sed matris infantem crudelissime necantis signum repraesentet, ambabusque manibus per modum spintheris vel armillae ferruminando adiungatur, & hoc signo quotannis semel per plateas urbis ducatur. Aliis vero infanticidiis, in specie culposis, ad quae dissertationem meam extendere nolui, hanc poenam applicari non posse per se patet.

## §. 16.

- a) Cui & respondet paroemia illa germanica: *Man solle lieber zehen ehrlich machen als einen zum Schelm*, ad quam commentatus est *Eisenhart in den Grundsätzen der teutschen Rechte in Sprüchwörtern* p. 78. seqq.






§. 16.

Qualiacunque vero illa sunt, quae ad legem de infanticidio impediendo constituendam dictu fas mihi quae idonea esse videbantur, illa perpendenda relinquam arbitrio praesertim eorum, qui in ejusmodi rebus accurate disquirendis ac rite dijudicandis sunt versatissimi. Quae si iis nec prorsus improbata, nec eorum attentione plane indigna fuerint, non nihil ad promovendam utilitatem publicam forsan protulisse, meae quae aliorum saluti consulendi quovis homine tam dignae cupiditati aliqua ex parte satisfecisse mihi videbor.







## Thefes.

I.

*Capitis poena etiam atrocissima duellis sancita incongrua est atque inutilis.*

2.

*Supplicii ratio, quae ex dicto illo Mosaico: Wer Menschen Blut vergeußt des Blut soll wieder vergossen werden, vulgo sumitur, non adprobanda videtur.*

3.

*Sponsa in bonis sponsi non habet hypothecam tacitam, si dotem ante matrimonium tradidit, hoc postea non securo.*





Theles

I. Capitulum primum de rebus sanctis  
concordia de rebus sanctis

2.

Suppliciter ratio, quae ex dicto illo habetur. Ver  
Menches hinc vergetur des hinc soll wieder ver  
kosten werden, selgo sumum, non adhibenda ratio.

3.

Postquam in hunc finem non habet adhibendum  
non si totum eius numerum tradit, hoc postea non  
ferre






(x225 7030)











B.I.G.

Farbkarte #13

DISSERTATIO INAUGURALIS  
DE

*No. 1069*

*13*

INFANTICIDIO A MATRIBVS  
IN RECENS NATOS INFANTES  
COMMISSO ET QVIBVSDAM EIVS  
IMPEDIENDI REMEDIIS

*1785, 1.*

QVAM  
RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO  
DOMINO  
**FRIDERICO II**  
HASSIAE LANDGRAVIO RELIQUA

ILLVSTRIS JCTORVM ORDINIS CONSENSV  
PRAESIDE  
**D. IOANNE PETRO BVCHER**  
IVRIVM DOCTORE ET P. P. O. ACADEMIAE SYNDICO  
PRO CONSEQVENDIS SVMMIS IN VTROQVE  
IVRE HONORIBVS

D. XXVII. OCTOB. A. C. CIO IO C C LXXXV.

AD  
DISCEPTANDVM PVBLICE PROPONIT

AVCTOR  
**CAROL. GOTTL. DANIEL CLAVER**  
ADVOCATVS DRESDENSIS.

RINTELII,  
TYPIS ANTON. HENR. BOESENDAHL. ACADEM. TYPOGR.

*Carl Gottl. Daniel Claver*